



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Manuale Parochorum, Sive Institutiones & Praxes Tum Vitæ, tum Officii Pastoralis**

**Musart, Charles**

**Monachii, 1654**

III. Summa item Mansuetudo, & Patientia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41616**

nitate in Clerico? Igitur vestis sit munda, sed absit fastus, & luxus, siue in materiâ, siue in modo vestiendi: sit domus nitida, sed absit nimius aut sumptus, aut splendor. Dignitas sit in coronâ detonsi capitis, & decenti habitu clericali: nam hæc Sacerdotii insignia sine causâ negligere, sunt, qui damnent culpæ grauioris: præsertim vbi id foret scandalosum. Quo in genere facilè etiam offenderes, si absq; veste clericali vel domi, vel foris ab aliis deprehendaris.

NVM: III.

*De Mansuetudine, & Patientiâ.*

**I**am S. Bernardus mansuetudinem humilitatis collectaneam appellauit: itaq; vt humilem, ita te modestum ad omnes esse oportet. Consistit autem mansuetudo præsertim in moderandis motibus iracundiæ: vt nihil ore, gestu, facto iracundè agatur, ne quid implacidè, aut duriter,

ne

ne quidem cum iis, qui conditione viles sunt, aut bilem mouent. Itaque dentes neminem mordeant, caninum hoc est; lingua nullum virulenter pungat, istud serpentinum: hominis est sermone vti humano, moribusque commodis, etiam in homines agrestes, & nonnihil feros.

Atq; hinc porro necessaria est patientia, quam mansuetudini naturaliter esse coniunctam S. Basilius dixit: cum enim patientiæ inter cetera officium sit, inter res aduersas, & nonnunquam duras, atque acerbis frenare animum, ne in verba iracundiæ prorumpat: immitius, atq; impetuosius ages; nisi patientia retineat: atque hoc tandem pastoritium est, vita scilicet laboriosa, & multorum incommodorum patiens. Vide hinc tu mihi breuiter velut in speculo ouiculam: animal hoc quidem timidum est, atque fugitium: sed tamen docile, & sequax; nam si pastorem nanciscatur humilem, modestum,

stum, mansuetum, patientem, regi se,  
 & quocunque duci sinet. at si super-  
 bum, insolentem, durum, impatien-  
 tem; aut fugiet è grege; aut tractari  
 refugiet. Ita te amabit populus, &  
 facilè sequetur, si demissione animi,  
 modestiâ, mansuetudine, patientiâ  
 præditum videt: si verò elatum, si  
 immodestum, si immansuetum, si im-  
 patientem, odit, horret, neque patitur.  
 Verùm de his commodiùs, & paulò  
 fusiùs, cùm in tert. part. de modo  
 conuersandi agetur.

### C A P V T III.

Sit liberalis.

NVM: I.

*Turpitude Auaritie.*

**E**st hoc vitium non modò illibe-  
 rale; sed planè inhumanum; de-  
 nique multorum capitum, capitalium,  
 inquam, scelerum Hydra: A Sapien-  
 te pridem dictum: *Nihil est iniquius,*  
*quàm*